



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 2. Vtrum ante peccatum fuerint homini Sacramenta necessaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Dico Quarto, Si autem mutatio non irriter Sacramentum, nec etiam reddat ambiguum, non videtur esse peccatum mortiferum, etiam si fieret ex crassa aliqua negligentia, modo absit contemptus, scandalum, intentio introducendi nouum

ritum in Ecclesiâ, vel damnandi ritum receptum. Vide Sotum dist. 1. quæst. 1. art. 8. Idem docent alij recentiores. Ratio est, Quia omnis talis mutatio censetur leuis.

Q V Æ S T I O L X I.

De Necessitate Sacramentorum.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem?

Respondetur, Sacramenta esse necessaria; id est, valde vtilia & congrua ad hominum salutem: Loquitur autem D. Thomas potissimum de natura humana secundum se spectata, id est, secundum naturalem suam conditionem, qua præcincit à statu peccati, & à statu supernaturali innocentie. Probat tribus rationibus. Prima, Quia humana conditio postulat ex sensibilibus ad spiritalia perducere. Secunda, Quia decuit, vt homo qui per peccatum se sensibilibus rebus subiecit, eisdem in pœnam & humilitatis exercitium subiicere cogere. Tertia, Quia præcipuum studium & affectio hominum est in rebus externis: vnde vt salubriter in illis occuparentur, decebat sub illis res spirituales tegi. Vnde Magister has tres causas complectens, ait Sacramenta instituta propter instructionem, humiliatorem, & exercitationem hominis in diuino cultu.

Explicatur mens D. Thomæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum antè peccatum fuerint homini Sacramenta necessaria?

Respondetur, Ante peccatum, nempe in statu innocentie, Sacramenta non fuere homini necessaria, id est, multum conuenientia.

Notandum est; Quosdam recentiores existimare in statu innocentie futurum Sacramentum Eucharistie, & consequenter etiam Sacramentum Ordinis. Addunt aliqui etiam Sacramentum Matrimonij. Ratio est, Quia existimant Christum venturum in carne, etiam si Adam non peccasset; cuius Incarnatio fuisset significata per Sacramentum Matrimonij; & vnio nobiscum tanquam capitis cum membris per Eucharistiam; quæ etiam tunc fuisset sacrificium, tale enim sacrificium decebat talem statum.

Sed longè probabilius & verius est, in statu innocentie nulla futura Sacramenta gratiam conferentia. Primò, Quia hæc est communio sententia Doctorum. D. Thomæ hic, & in 4. dist. 1. vbi Bonauentura, Richardus, Gabriel, Paludanus, Maior, & alij. Secundò, Quia probabilius est Christum non venturum in carne, si status ille perseverasset, vt dictum est in Tractatu De Incarnatione, qu. 1. art. 3. vnde illa Sacramenta non ha-

Quidam existimant.

Verius negatur.

buissent fundamentum meritorum quibus niterentur. Quod patet; Idcirco enim nostra Sacramenta sunt instituta, vt sint veluti instrumenta quibus applicentur nobis merita Christi: at in illo statu non fuissent vlla merita nobis applicanda, ratione quorum daretur gratia; ac proinde nec fuissent instrumenta applicatoria. Tertio, Quia generatim ideo Sacramenta sunt instituta, quòd homini difficile sit rebus spiritualibus intendere, perfectè ad iustitiam se disponere, & opera supernaturalia meritoriaque facere; vnde necessarium erat institui Sacramenta, quibus facillè posset iustificari, & in iustitia crescere; alioqui paucissimi fuissent saluati, & hi valde imperfecti. In statu autem innocentie omnes fuissent nati in iustitia originali, & ita non eguissent disponi ad iustitiam: facillimum quoque illis fuisset rebus spiritualibus insistere, & functiones omnium virtutum supernaturalium; quibus gratia assidue creuisset, obire; quare non opus erat Sacramentis, quibus in iustitia crescerent. Sic explicari potest ratio D. Thomæ: Non enim decebat hominem in illo statu rebus inferioribus subijci, quibus ipse debebat dominari, aut per eas in gratia vel cognitione diuinorum mysteriorum perfici: nam in gratia per dignitatem operum facillimè creuisset, & cognitionem mysteriorum fidei traditione parentum facillè accepisset: Hæc enim pauca fuissent, vtpote connaturalia gratie; nec vllum fuisset obliuionis periculum. Denique non fuissent necessaria ad hoc, vt homines cognoscerent quando diuinitus sanctificarentur; nam hoc singuli sciuissent ex operum suorum cognitione. Quarto, Quia omnia nostra Sacramenta instituta sunt: vel in remedium peccati, vt Baptismus, Pœnitentia, & Vnctio; & Matrimonium quatenus est in remedium concupiscentie: vel ad augmentum gratie & robur contra tentationes, vt Confirmatio, Eucharistia: vel ad alia Sacramenta conficienda, vt Ordo. Sed in statu innocentie non fuisset opus Sacramentis ad remedium; quia abfuisset morbus peccati & concupiscentie: nec etiam ad augmentum gratie; quia gratia facillimè creuisset per opera: nec ad tentationum victoriam; quia tentationes internæ nullæ fuissent; externæ autem facillimè potuissent repelli.

Dices, Sacramenta in eo statu fuissent necessaria ad alios fines; nempe ad cultum Deo corpore & animo exhibendum; ad fidei protestationem, & ad conspirandum in vnam religionem: ob quas causas credibile est futura sacrificia publica, & fortè etiam imagines maximè hominum & Angelorum.

Respon-

Ratio cur generatim omnia Sacramenta instituta.

In statu
Innocentiæ
fuisse
certæ cære-
monia.

Respondeo, Ad hos fines valdè probabile est in illo statu futuras certas cæremonias diuinitus inspiratas, & in toto humano genere seruandas; vt rectè docet Durandus dist. 1. quæst. 2. & insinuat D. August. lib. 8. de Genesi ad Literam c. 4. cum ait, *Nec sine Mysterijs rerum spiritualium corporaliter presentatis voluit Deus hominem in Paradiso viuere*: hæ tamen cæremonia non debebant idcirco esse Sacramenta, quia non contulissent gratiam internam aut externam ex opere operato; quod necessarium est ad rationem Sacramenti. Quòd si in eo statu aliqui peccassent, satis fuisset remedium contritionis; nam pauci lapsi fuissent, & hi facilè respiciissent per gratiam præuenientè, suâ miseriâ & aliorum felicitate edocti.

ARTICVLVS III.

Vtrum post peccatum ante Christum debuerint esse Sacramenta?

4 **R**espondetur Affirmatiuè. Ratio est, Quia homo post peccatum non potuit saluari, nisi per fidem Christi: ergo debebat hanc fidem quibusdam cæremonijs externis protestari; quæ cæremonia dicuntur Sacramenta. Patet consequentia: Quia debebant colere Messiam futurum, & excitare eius desiderium & sanctificationis per ipsum conferendæ; denique eius fidem & cognitionem fouere: hoc enim totum auctori salutis est debitum.

ARTICVLVS IV.
Vtrum post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta?

Respondetur, In lege noua debebant esse aliqua Sacramenta distincta à Sacramentis legis Veteris. Probatur Primò, Quia aliter debent præfigurari futura, aliter representari iam presentia vel exhibitata. Atqui Sacramenta legis Veteris præfigurabant mysteria Christi futura, nostra autem debent representare iam exhibitata: ergo debent esse distincta. Vide D. Augustinum lib. 19. contra Faustum c. 13. & 16. Secundò, Quia status nouæ legis est perfectior tum cognitione, tum gratia: ergo & eius Sacramenta debent esse perfectiora tum in significando, tum in efficiendo. Tertio, Sacramenta vetera tantummodò erant idonea ad pædagogiam infantium in fide: ergo inepta statui nouæ legis, qui est virilis. Quarto, Quia illa Sacramenta erant vmbra, figuræ, parabola instantis temporis, exemplaria cælestium, ad Hebræos 9: ergo debebant euanescere, veritate succedente, & alia institui quæ verè essent cælestia. Quintò, Quia homini difficillimum est disponere se ad gratiam, insistere rebus spiritualibus, & operibus supernaturalibus vitæ æternæ meritorijs: ergo necessarium fuit illi subuenire quibusdam cæremonijs externis, quibus sine magno labore gratiam consequeretur; alioqui paucissimi saluati fuissent; quod non est consentaneum statui nouæ Legis, qui est status gratiæ & misericordiæ.

QVÆSTIO LXII.

De principali effectu Sacramentorum,
qui est Gratia.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramenta sint causa Gratia?

Respondetur Affirmatiuè. Notandum est, Omnes Hæreticos huius temporis consentire, quòd Sacramenta non conferant gratiam, sed sola fides: Sacramenta autem esse dumtaxat cæremonias quasdam, quibus fidem nostram coram Ecclesia profitemur: ita Swinglius & Bucerus. Vel symbola quedam bonorum operum; Exempli gratia, Baptismum esse signum afflictionum, quas Christiani debent perferre; & ob hunc finem dumtaxat Baptismum summi; ita Anabaptistæ. Vel esse signa, quæ significant nos iustificari per fidem, qua diuinas promissiones apprehendimus, dum applicantur Sacramenta: ita Lutherani. Vel denique esse signa & sigilla, quibus Deus testetur conscientijs nostris nos antea esse iustificatos per fidem vel nostrâ vel parentum: ita Calvinistæ. Vnde omnium Hæreticorum sententiâ, Sacramenta per se nihil confe-

1
Error cõ-
munis hæ-
reticorum
nostræ tem-
poris.

runt, sed sola fides: ipsa autem sunt nudæ cæremonia, & arida signa, non minùs quàm cæremonia veteris Legis; quod olim tenuere Caiani apud Tertullianum, contra quos scripsit librum de Baptismo; & Armeni, teste Guidone, verbo Armeni.

Dico Primò, Sacramenta nouæ Legis non sunt causa primaria gratiæ nec efficiens, nec meritoria: primaria enim efficiens est solus Deus per diuinitatem; meritoria est Christus Dominus per humanitatem.

Dico Secundò, Certum tamen est de fide, omnia Sacramenta nouæ Legis per se & ex opere operato conferre gratiam sanctificantem non potentibus obicem.

Vbi nota, Sacramenta dici conferre gratiam ex opere operato, ob duas causas: Prima, Quia eam conferunt non quâ opus hominis, sed quâ opus Dei; id est, quatenus sunt opus à Deo institutum: vnde *Ex opere operato* idem est, ac si dicas, *Ex diuina institutione*: quomodo etiam actus internus, vt nuda fides, vel attritio conferret gratiam ex opere operato, si Deus decreuisset hominè per tales actus sanctificare. Secunda, Quia Sacramenta gratiam

2
Conferunt
gratiam
ex opere
operato.